Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1685 14 Aprilis

Kaczorkowic Adamus Jos: Archivum Jagellonici Apollinis gemmis pretiosissimis VV. DD. XVI. primae laureae Candidatorum collucens

ARCHIVVM IAGELLONICI APOLLINIS,

Gemmis Pretiosissimis,

VV. DD. XVI. Primæ Laureæ

CANDIDATORVM, COLLUCENS.

Iisdemq;

DVM

IN ALMA VNIUERSITATE CRACOVIENSI

PER

Clarissimum & Excellentissimum Dominum,

M. MARTINVM OSLINSKI,

Philosophiæ Doctorem & Professorem, Collegam Minorem, ibidemq; Eloquentiæ Professorem, interea Contubernii Iagelloniani Seniorem.

In frequentissima Clarissimorum & Nobilissimorum Hospitum totiusq; Academici Senatûs corona,

Artium & Philosophiæ Baccalaurei

RITU SOLENNI

RENVNTIARENTVR.

AB

ADAMO IOSEPHO KACZORKOWIC, Louicien: eiusdem Laureæ Candidato:

CONCENTU LYRICO

Amoris & gratulationis ergò

CONSECRATVM.

Anno

Augustæ Virgo quo gessit munia Conchæ
Vnio cuius erat Filius ipse Dei.

1685. Die 14. Aprilis.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

IN
ARMA GENTILITIA
PERILLUSTRIS & ADMODUM REVERENDI DOMINI



CANDIDA ſydereo conformis vt eſſet Olympo
REGVLA, tum viſa eſt res ſibi velle duas.
Sydera defuerant, poſcebat ſydera, & axem;
NORBERTI vt Lumen poſſet habere polus.
Pro ſtellis SCZERSKI dedit ergò gemmea corda,
Inq; ſuo TELLO Circulus axe ſtetit.
REGVLA ſi cælum es, ſi dat Tibi SÇZERSCIVS axem;
Stella polaris erit non ne SAGITTA Tibi?

STANISLAVS ANDREAS ROKICKI,
Auditor Philoſophiæ.

PERILLUSTRI & ADMODUM REUERENDO DOMINO,

D. ALBERTO SCZERSKI,

SACRI & CANDIDI ORDINIS CANONICORUM PRÆMONSTRATENSIUM, PRÆPOSITO PŁOCENSI. &c. &c.

Domino & Patrono Colendiſſimo.

INter continuos æſtuantis Bellonæ inſultus, inter ſæuientium fatorum vices, Gemmea Apollinis Iagellonici dona Candido Tuo defero pectori Perilluſtris & Admodùm Reuerende Domine: vt quæ literatorum parturiit munera ingenium, ea, natiua armorum Tuorum vis perennatura, ab omni vindicet iniuria, protegat lapſu, tueatur aduerſitate. Quis enim ea temporum viciſſitudine, ea rerum facie; quâ terrefacta lituorum rauco ſonitu, vix ſuiſmet in ruderibus ſpirant regna quâ veſanus Orientis furor vltimum orbi portendit exitium, quâ prælia, victoriæ, ipſiq́ longo labore parti triumphi quotidiana ſunt bellorum ſemina audeat? pretioſa clenodia, auguſtas gazas, regum delicias, ornamentum mortalium gemmas: ſub imbellis bellatoris animo ponere & tutela. Sumptuoſo negotio damnum mercari videtur is potiùs, quàm opima & optima rerum diuitiarumque ſpolia pretioſis gazis, ditibus theſauris locare, qui effeminati Sardanapali viribus, timidi Ægyſtæi animo, non martiali ferro tutanda, defendenda rerum pretia eſſe cenſet. Gentilitia Domùs Tuæ ARMA Perilluſtris & Admodum Reuerende Domine, vt primùm dicatus Tuo Nomini clientis animus ſagaci trutinauit mente, non præſtantius præſidium, non fortius non robuſtius duxit eſſe tutamen; candentibus non tam candore ſuo, quam amore noſtro gemmis: quàm ſub Sacratiori Tello hoc, â quo integritas Religionis, amor proximi, Diuorum Diuinorumq́ honor viget, & ſua ducit incrementa. Et ſanè ſit ſua cuiuſpiam felicitas, ſub ſuo & in ſuo Clypeo tutum eſſe: Nobis perenne decus eſt & munimen SCZERSCIANVM Tellum. Iactent ſuos Epaminondas Thabæ, Oſtentet Xerxes Cyroſq́ Perſia, Lacædemonii Lyſandros celebrent, Pæni Annibalem efferant, memoret Roma Cæſares, ſuſpiciat Scipiones, miretur Auguſtos; quod regna, imperia libertatem, populorum ſalus, Vrbium decus, ſuam conſeruauerint gloriam ſub vindici ferro & patrocinio imperantium: Nos ſub SAGITTÆ Tuæ robo-

re. no-

re, noſtras tutè quieſcere loquemur gemmas, noſtras Laurus vireſcere. Non ne
ſat amplum & dulce præſidium, mutuatusq; noſtris vnionibus à Candido Tuo ve-
niet candor pectore. Qui etiam longè felicior quam Abaris ille Sagittâ fratus
Apollinis: antea in Admodùm Reuerendo AMBROSIO WIERVSZ, Pro-
uin: Ruſsiæ & Magni Duc: Litu: Ordinis Minorum Conu: PROVINCIALI; &
Definitore digniſsimo; nunc in IOANNE FRANCISCO PERLINSKI, Curato Gorzko-
uien: tot ab Archipræſulea ſede claris ornato functionibus, tot celebrato encomiis
Viro eminuiſti & emines: minora hæc adhuc ratus, niſi virtutis Tuæ faſtigio,
ad honorum aſſurgeres culmina, niſi propriis meritis in altum nitereris. Conſpexit
hoc in Te pridem Perilluſtris & Admodùm Reuerende Domine, Sacratior
Præpoſituræ Plocen: dignitas, aduertit Candida Religio, vidit omnium penè in
Te amor, quantum ex Te robur, quanta ex Gentilitiis armis Tuis decora, in dies,
poſſet capere Orbis Sarmaticus. Traxit Te ipſa virtutis & perennatis gloriæ Tuæ
fama, non quodpiam honorum decus, ad Sacratiores Religionis curas, quas Tu eo
ſuſcepiſti animo, qualem vix ſperemus à Mortalibus, à Dijs ipſis requiramus.
Candidum te eſſe voluiſti, non vt candorem gloriamq; â honorum faſtigio accipe-
res, ſed vt potiùs immortalis plenus animi ipſis dares dignitatibus. Et meruiſti
ſanè plauſus affectusq; noſtrum omnium qui vbiq; de Tuo præſtas admirationem
immo ita meruiſti, vt proximum Tibi ex Archiuo Iagellonici Apollinis gemma-
rum candorem Diuino quodam nutu Tuum eſſe feceris. Patere igitur Perillu-
ſtris & Admodùm Reuerende Domine, pretioſa hæc ingeniorum Laureato-
rum germina, Tuis ſub armis ſecurè quieſcere, patere hæc auguſta vnionum pretia
ſub ſacratiori haſta Tua maius pretium accipere. Vigebit ſemper in æuo penè
decemplici geſtorum Tuorum memoriâ, non Cymmeriis obliuionum inuoluta tene-
bris, non Lethæis merſa fontibus; & Tuum in Nos candorem loquentur ſemper
balbutientes licet Clientum Tuorum linguæ, ſi, quem reperimus gloriâ factis, Vir-
tute eximium, eum habeamus Archiui Iagellonici Apollinis Fautorem, Vindicem,
Protectorem. Sit ecquidem ſua excelſis in Orbe illuſtrium Heroum facinoribus
laus & gloria: hunc in felix Carthago reddat Africanum, illum domita Aſia
loquatur Aſiaticum, alium ſubacta Germania nuncupet Germanicum: Maius no-
men feret Tibi fama omnium indè, cum Archiuum Iagellonici Apollinis, ſplendi-
diſsimis coruſcum Candidatorum gemmis, ſub gentilitia SAGITTA TVA peren-
naturum deponet feliciſsimè

Perilluſtris & Admodùm Reuerendæ
Dominationis Veſtræ,

& Mecænatis Ampliſsimi
Cliens deditiſsimus

ADAMVS IOSEPHVS KACZORKOWIC, Łouicen:
Primæ Laureæ Candidatus.

ARCHI-

PRETIOSISSIMO
Cælestium gemmarum
THESAURO.
D. JOANNI CANTIO,
Regni Poloniæ & Academiæ Cracou:
TVTELARI PATRONO.

Summè æstimatam Maris Erythræi Concham, ore versus cælum hianti, vt gemmas concipiat apertam offert Author.

CUM LEMMATE:

Aperior vt Operiam.

DIffluens luxu Cleopatra non iam
Splendeat felix, pretioq; magni
Haut caput tollat tumidum vnionis;
Vincat & æuum.
Cæsares non iam memoret vetustas,
Actium cesset, Libyæq; donis
Aureum non iam solium triumphet,
Luce coruscâ.
Gemmeum nostris tulit Alma Mater
Mentibus seclum, voluit quod olim
Roma vidisse, & Latio nitentem
Ferre coronam.
Cedit ast omnis Tibi laus Beate
Prima; qui nostris radians IOANNES
Clarus in conchis remanes, & omni
Lumine splendes.
Sacra Te Virtus posuit coruscum,
Inter augustas Iagelonis ædes,
Sempèr vt Magnus Sapientiæ Sol
CANTIVS esses.

Laureas frondens Helicon virentes
Cum Tibi defert, Tua lux perennis
Fulget, vt candens meritò per Orbem
Gemma voceris.
Ergo cum noſtris Tua Concha gemmis
Diue de cælo faueat, vouemus
Vt Tuo, noſtræ Sacra gemma Laurûs
Cedat Honori.

Clariſſimis & Excellentiſſimis Dominis,

EXAMINATORIBVS,

Clariſſimo & Excellentiſſimo Domino,

D.M. IOSEPHO WISNIOWSKI,

Philoſophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Aſtrologiæ & Geometriæ Ordinario Profeſſori,
Ac interea
Artiſticæ facultatis DECANO Digniſſimo.

Clariſſimo & Admodùm Reuerendo Domino,

D.M. FRANCISCO ANTONIO TOKARSKI,

Philoſophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Regio Profeſſori, Eccleſiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ CANONICO.

Clariſſimo & Excellentiſſimo Domino,

D.M. MARTINO OSLINSKI,

Philoſophiæ Doctori, Collegæ Minori, ibidemq; Eloquentiæ Profeſſori, ac interea Contubernij Iagelloniani Seniori.

In argumentum debitæ venerationis & gratitudinis.

Trio-

Triopthalmos gemma: cum Onyche naſcens, tres hominis oculos ſimul exprimens.

CUM LEMMATE:

Lumina terna Sophorum.

QVis audet amplam Lumina gloriam
Efferre Veſtram laudibus inclytis?
Virtutem, & aureas ſacrati
Pectoris ingeniiq́ dotes.
Vos non Arion pectine Lesbio,
Non dulcis Orpheus Threïciâ Lyrâ,
Non docta Clio ritè poſſet
Caſtaliјs celebrare plectris.
Quàm clara Veſtris fulget honoribus
Regnatq́ virtus, & pietas chori
Selectioris de popello
Principis arbitrio ſuperni;
Eſt teſtis æuo pronus in vltimo,
Eritq́ ſemper, laudum, Academia
Famæ perennantis per annos
Innumèros, generoſa nutrix.
Primum in cathedris Te ſibi WISNIOWI
Virtus celebris protulit Herculem,
Es inter ordines Togatos,
Laurigeriq́ chori Imperator.
Clara coruſco ſydera lumine,
Audax volucri præpetis ingeniî
Pennâ reuoluis, atq́ mente
Aſtrigerum moderaris orbem.
O eruditi gloria nominis!
Obliuioſi neſcia ſeculi,
O Splendor! ô Craciј vetuſte
Præſidium! columenq́ Matris.

Inta-

Intaminatæ ſplendor adoreæ
Latè per Orbem Te feret aureum,
Te candor, & virtus beato
Culmine, pro meritis locabit.
Felice Vatum Te quoq; ſpiritu
Muſæ loquentur, roſtraq; publica;
Dum recreas plectro TOKARSKI
Eloquioq; animos diſerto.
Plauſus mereris, diuitis ingenij
Exercitatis muneribus potens,
Quidquid Platonis Dia Muſa,
Quidquid Ariſtotelis beata,
Summæ reuoluit mens ſapientiæ,
Auſu occupaſti magnanimo impiger:
Narrabit æuo quod nepotum
Poſteritas, rigida æſtimatrix.
Virtutis almæ. Dicet Athæneum
Illuſtre Craci, quanta laboribus
Mereris ornamenta, quantis
Laudibus inſtiteris Profeſſor.
Nec laude inanem vis Tua reddidit
Te clare vatum, Te Latij decus;
Emergit OSLINI *decoro*
Ingenij Tua fama cultu.
Doctis amicum te penetralibus,
Apollo Thymbræûs Aonijs ſacro
Choro camænarum, & verendum
Thuricremis ſociauit aris.
Suadella dulcis nectare melleo,
Conſperſit oris labra decentia,
Linguamq; non parco liquore
Imbuit, eloquij süauis.
Lucis coruſcum tergeminæ decus:
Ergo coronent gemmea Nomina,
Veſtroſq; conſignent honores
Ingenio, probitate, claros.

I. V. D.

ARCHIVVM IAGELLONICI APOLLINIS

I. V.D. MICHAELI NIETSCH,

Chrysolampis gemma fulgentibus noctu radiis lampades igneas lucemque suauissimam repræsentans.

CVM LEMMATE

Splendet & Ornat.

ROxolanæ splendor gentis tum gloria summa,
Pieridumq; decus, patrio NIETSCH care Leoni:
Qua Te Voce canam? vel quo Te pollice tactum
Reddet Eburna chelijs? vel quæ Tibi tibia carmen
Inflabit? multis nam quod natura negauit
Dona, seù sparsim dedit aurea mentibus, at Te;
Ornauit cunctis, cumulans sua munera in vnum.
Prominet hinc niueæ frontis Tibi pulchra corona,
Et vittis Helicon vatem fulgentibus ornat.
Pollentem ingenio virtusq; laborq; molestus
Fecit, & eloquio facundum Tullius ipse;
Respondetq; Tuo genio Diuina MATHESIS.
Ergo cælesti dotatus munere felix,
Caraq; progenies Phœbo, Patre Consule digna;
Macte animo! doctamq; geras in pectore mentem:
Maioresq; Tuos præclaro sanguine cretos,
Fac animi virtute feras, cum laude perenni.
Eccè Tibi captiuus honor sua colla ministrat,
Vt possis patriæ cerni lux, hîc, vbi claras
Exuuias, validâ posuit Leo fortis in Vrbe.

II. V.D. ALBERTO CAROLO MROWCZYNSKI,

Gemma Augusti vultum eius maiestate plenum repræsentans.

CVM LEMMATE

Similes reddit partus labore honor.

SVrge prudentûm genuina proles;
Laureis ornans caput eruditum:
Quod Tibi poſcit meliore Sanguis
Lumine cretus.
Illa KVCHARSCII Sapiens Minerua,
Nomen & ſummum, Tibi mille laudes
Clare MROWCZYNSKI dedit, & futuro
Proferet æuo.
Iactet enixas renitente conchas
Rore, non parcus ſator vnionum
Indus & lucri; pretioqué Memphis
Surgat onuſta.
Nos Tibi maius pretium feremus,
Teq́ KVCHARSCII genio loquemur
Gemmeum pectus ſimili tuliſſe
Mentis in vmbra.
Quæ Tibi pulchrè dedit hora naſci,
Ducet æternùm ſine clade ſoles,
Sæuiat quamuius notus & ſonorum
Imbribus æquor.

III. V.D. VALENTINO LIPOWSKI,

Berillus gemma probatiſſimo colore viriditatem puri maris repræſentans.

CVM LEMMATE

Viret vt floreat tandem.

PAlladis ad fontes dum Te veniſſe videmus,
Fronde vbi ſub ſacrâ culta Minerua viget;
Et ſua veridicus pulſans vbi pollice fila
Delius, Aonio claret in Orbe choro.
Mens Tua LIPOWSKI claris innotuit actis,
Atqué, Aganippæo fonte rigata ſcatet.
Protinùs emeritos confert Tibi Phæbus honores,
Et Tua cum lauru tempora Pindus amat.
Inſignem pretio ponens in fronte Berillum
Vt vireas, tandem, præmia digna ferens.
Et Tua flexanimæ ſapiens facundia ſuadæ
Ex gemmis pretium poſſit habere ſuum.
Vt vireat ſtudioqué ſophum victura perennet.
Gemmeus à Muſis ſic Tibi cedet honos.

IV. V.D. IOANNI PAPIEZOWIC,

Sandaſtros gemma inqua ſcintillantes fulgent aureæ guttæ.

CVM LEMMATE

Micat Virtus aurea in Te.

F*Elix quem poſuit ſua*
Clarum conditio, & ſurgere contulit
Auguſtè in penetralibus
Regum Sors fragilis; ritè beatior

Cui

Cui virtus patiens fauet,
Et dulci obsequitur pectore nobilis.
Cætus láurigeros Tua
Splendescens recreat parta laboribus
Virtus, difficili loco:
Quam tu Palladijs montibus inclytam,
Nunc fausto aggrederis pede.
PAPIEZOWIC, opes laurigeras Tibi
Donat Pindus amabilis:
Sertis condecorans tempora lactea.
Io quam superis fauor
Diuorum genuit cœtibus indolem!
Te Parnassus & integer,
Augustis Helicon conciliis feret
Sublimem: vel eburneis
Plectris concinet egrè Polyhymnia.

V. V.D. IOANNI FRANCISCO ROKICKI,
Pyropus gemma ignitis radijs ardescens.
CVM LEMMATE
Ardet semper æmula gloriæ virtus.

PAssibus augustis semper mens tollitur omnis,
Quæ petit eximio:
Ardua per rerum spatia atq; in calle verendo
Culmine stare diu.
Nec pallens timido procedit nescia vultu
Mens heroica viri.
Immò præcelsas volitat benè tuta per auras,
Omneq; vincit onus.
Sic Tua te virtus decorat redditq; vigentem
Moribus ingenio.
Ardua nam multis fuerunt quæ, prima sub omni
Vis Tua prominuit
Candescens ictu, valido comitata labore.
Et velut aurigero
Scintillans vultu, posuisti prospeta de Te
Indolis eximiæ
Omina: cum clarum Tibi nectar Tullius ipse
Inseruit genio.
Dulcis & Aoniis sociauit Delius vndis
Te sibi laurigerum.
Vt cælso felix ROKICKI munere laudis,
Præmia digna feras.

VI. V.D. STANISLAO DASZCZYNSKI,
Sardonix Policratis gemma fortunæ prodigio celebris.
CVM LEMMATE
Maior fortuna sub lauru.

Mitte Sectari, quis amæna præter
Prata resplendens eat ære Ganges:
Est satis pulchrum, redimire molli
Tempora lauru.
Alter Eoo pretiosus auro,
Gemmeâ zonâ moderetur artus;
Alter elapsos Tyrio lacertos
Subliget ostro.
Gratior pulchræ studiosa menti
Laurus, annosis dominatâ seclis:
Cuius illustri gemino triumphus
Insidet Orbi.
Clare DASZCZYNSKI *Tibi vis perennis*
Panditur laudis, Tua quod virescens
Cingat, excelso rutillans honore
Tempora sertum.
Non magis sortis studium superbæ,
Inter augustas fauet atq; splendet
Copias gazæ, Tua quam sub vmbra
Gloria laurus.
Laureatorum niueæ Sorores,
Hic erit vestræ fidicen camænæ:
Barbito flectens Helicone toto
Culmina Pindi.

VII. V.D. FABIANO ROSZTABINSKI,

Amianthus gemma, contra quam ignium vehementia nihil prodest quinimò puriorem reddit.

CVM LEMMATE

Pulchrior ab igne.

HActenùs innocuo nimium dilecta colori,
Æmula liligeris radiabas candida cignis
Virtus ROSZTABINSKI: quam de pectore prompto
Ausu magnanimo posuit mens apta studendi.
Ast nunc candidior remanes, cum pressa per ictus
Multos, laurigeros Heliconis poscis honores.
Non piguit tantos te promere sæpe labores,
Dignus vt Aoniis legereris pulcher in vndis.
Felix Ausoniis si quandò Tullius oris
Extitit; & genio valuit: tu ritè per omnes
Eloquio promptus Cathedras iam clare vigebis:
Et sua veridicum cognoscet patria ciuem.
Magnanimâ ratione potens, quos splendor auitus
Extulit, assequeris: patrio benè limine ciues.
Quod Tibi splendenti spondens de vertice laurûs,
Gemmea cum gemmis feret amplam gloria laudem.

VIII. V.D. IACOBO MICHAELI BIENKIEWICZ,

Carbunculus gemma fulgoris maximi, ignium similitudine ardens.

CVM LEMMATE

Luceat vt aliis.

QVâ celsa Craci mœnia Vistula
Effusus vndis lambit humentibus,
Et quâ dicatus nidus olim
Floret Apollineis camœnis,
Hic clara fulsit gloria BIENKIEWII,
Baccata sacro fulgure mentium, &
Ornauit illustrem, fauentûm
Conciliis studiisq́; Diuûm.
O quem serenæ vultus adoreæ,
Effusa dulci Palladis ægide
Ornant trophæa vel triumphi!
Laurigero radiante serto.
Laudis perennem singula gloriam
Loquetur ætas, te memorabilis
Sermo virorum nec vigenti
Laurigerum sine laude vatem.
Feretq́; serò nomina gloriæ
Inscripta cordi fama perennior;
Doctrina, virtus, laureatis
Cum meruit super ire sertis.

IX. V.D. PETRO SAMELOWICZ,

Leucopatelos gemma lacteum candorem aureo fulgori intermiscens.

CVM LEMMATE.

Aureus ab ore fulgor.

EXimias prensare vices vis summa laboris
Est. Merito passu condecorare graue est
Virtutem celsam. Meritorum gloria poscit:
Præclarâ meliùs posse vigere togâ.
Quod Tibi Palladii cessit decus omne Senatûs,
Diceret vt laudes suada diserta tuas.
SAMELOWICZ Tibi flexanimum natura decorem
Contulit, & sacrâ munera grata manu.
Ergo tuus te semper honor, te celsa loquetur
Mens, & præstantem dicet in orbe sophum,
Rostraq́; pro meritis capies benè passibus alta;
Quò tua te virtus, quò tua fama vocat.
Quod Tibi pacificâ portendit fronte corona:
Gemmaq́; laurigero condecorata gradu.

X. V.D. IOANNI WYPORKOWICZ,
Libanochros gemma thuris ſimilitudinem oſtendens, ſed ſuccum mellis habens.

CVM LEMMATE.

Dulcia fert ſacratior laurus.

VVlt fortuna laboribus
Tolli. Dulcia tum non meruit, cui:
Præcox gloria nominis
Arriſit placido vultu, & amabilis
Quem felix legit, & cui
Non radix ſtudii præfuit aſpera.
Multos munera dulcia
Ornant immeritos, abſq; laboribus:
WYPORKOWIACÆ ſuus
Virtuti labor eſt, & ſua gloria.
Claram; dotibus ingenii
Felix, eximiis quam tulit actibus.
Poſcent florida tempora.
Te ſemper, validum dicet & Herculem
Chriſti vinea fertilis.

XI. V.D. PAULO SWIDERSKI,
Amphitane gemma Indiæ, auro ſimilis, aurum vt ferrum ad ſe trahens.

CVM LEMMATE.

Te virtus traxit ad Coronas.

FElix quod mentes Traianus traxit in oſtro:
Flexanimoſq; virûm
Illuſtrans animos, Samius quod liber in omni
Sortis amante vice
Lumina multorum conuertit. ritè beatus
Extitit ingenio.
SWIDERSKI: ſua quem virtus deduxit in altum.
Mentis & integritas.
Litauus hunc narrabit ager, tum clara per omnes
Splendida fama vehet.
Laurigero redimitum ſerto latè patria ciuem
Dicet, & emeritos
Conferet excelſo de culmine ſemper honores:
Quos Tibi muſa dabit.

XIII. V. D. ADAMO CASIMIRO BANASZEWIC,

Iaſpis gemma purpuræ roſeæq; colorem ſmaragdino virori intermiſcens.

CVM LEMMATE.

Roſæ tuo veniunt ab ore.

AN Tymantæos imitata flores
Picta formoſis noua merges herbis.
Alta mens? cuius ſibi luctuoſis
Diſſidet auſis
Sors. hic illuſtris cui copioſa
Penè felici genio ampla gaza
Inſidet, quali dedit ire magnos
Roma Nepotes.
Gratus vt flos eſt roſeus ſub orbe,
Grata ſic virtus ſapiens in altis
Mentibus fulget, pretioſiori
Digna coronâ.
Hæc Tibi muſas & amica Phæbi
Corda tot donis poterit mereri,
Quot Tibi laudes dedit eloquentis
Gloria ſuadæ.
Lauream quidquid decet auſpicatam,
Hoc Tibi totum feret alma virtus.
Dum BANASZEWIC *Tibi pulchra fies*
Ipſe corona.

XIV. V. D. MARTINO IOSEPHO ZAPCZENSKI,

Hexacontalitos gemma multitudine colorum admirabilis.

CVM LEMMATE

Mirus ad omnia ſenſus.

EXtollat Zeuxem magnum decantet Apellem
Græcia, tum tollat felix ad ſydera mentem
Ingenio celerem: volucres, quod bacca rubeſcens
Traxerit artificis; mortales luſerit alter.
Ingenio ſempèr claros eſt magna ſecuta
Gloria tum clarum Græcis tulit omen in oris,
Sed tua ZAPCZENSKI fulget magis æmula virtus,
Conſilio præſtans, dum pollet, moribus, arte.
Si regale fuit, celſis poſt prælia vittis
Condecorare caput Latio, & poſt ſortis iniquæ

Arma, triumphali circumdare tempora lauru.
Gratior Aonidum per culmina gloria magnæ
Indolis, atq; tuæ dulcis facundia suadæ
Est: quam tu ingenuo tum miro pectore clarus,
Latè frondenti traxisti munere laurûs.

XV. V.D. LAURENTIO IOANNI POLITOWICZ,

Cardisce gemma, in qua pulcherrimo naturæ opere effigies cordis eminet.

CUM LEMMATE

Hîc cor sapientiæ nitet.

QVo Te beatam nomine consecrem
O mens Deorum! Quo vel idoneus
Cantabo sublimem, & canoro
Regna super populosq; plectro?
Mens eruditis quippè nitoribus
Clarescit in Te POLITOWICZ *magè;*
Fulgurq; gratum quod sacrasti
Ingenio meliore musis.
Accendit in te nobile pectoris
Natura lumen, sed magis â tuâ:
Virtute doctâ laureatum
Dulce Tibi iubar explicasti.
O spes parentum! quam Cracii decor
Fouet Lycæi, nec popularibus
Ornauit illustrem, fauentûm
Conciliis studiisq; Diuûm.
Te reddet æuo ponè decemplici
Corona laurûs, viuet & æmula
Doctrina laudis, tumprobosâ
Viuus eris sine fræude splendor.

XVI. V.D. FRANCISCO IOANNI KLAKOWICZ,

Alexandri Macedonis gemma os dilectum Hephestionis signans.

CUM LEMMATE

Gemmeum ab eloquio decus.

Si nunc

SI nunc auricomus Lydia septies
Voluit dona Tagus, Nereidum Patri:
Si gazis patulos irrigat aureus
Ganges Mygdoniis agros.
Quantas mellifluis parturiet sacra
Baccis laurus opes, quas procùl arduum
Latè traxit opus, gloria nobilis,
Pandens difficilem viam.
Hinc Martis decus, & regna cadentium,
Communita ducum, sors volucris gradu.
Aurataeq; trabes & penetralia
Submittunt propè debitos
Fasces, laurigerae Palladis aegidi.
Te fas, & superis praeses honoribus
KLĄKOWICZ sequitur splendor, & inclyta
Festis gloria passibus.
Et quem nobilium sydera mentium
Cingunt, hunc superum dos comitabitur
Fulgenti pretio, florida tempora
Gemmis condecorans tua.
Te splendor niueae mentis idoneus,
Te deposcit honor ; Diua laboribus
Vult adnixa suis Mater, & aureis:
Laurus poscit honoribus.

XVII. V.D. MATHIÆ CANTIO BOGUSŁAWSKI, Concha Emerici Vespucii, quam in sua nauigatione vidit Centum & triginta gemmas concipientem.

CVM LEMMATE

Munera pulchra fero.

AVrea dum tenui scrutari dona labore
Duximus, Aonia gemmea secla virûm
Condecorare Lyrâ, tum rerum terminus instat
Iamq; suam claudit dulcis Apollo chelym.
BOGVSŁAWSKI mens tua felix munere pulchro
Aduenit & multâ condecorata vice.
Ingentem pretio portans in fronte coronam:
Gemmea quam decorat gloria pulchra domûs
Pegasidum, quam tu meruisti; hoc munere clarus:
Quod vincas alios, splendida dona tuo
Deportans gremio, cum Conchâ claudis honestè
Gemmas, quas posuit gloria sola virûm.
Ergo felici dotatus munere, felix
Fac animo vigeas, Emericiq; decus
Grande feras, nostrasq; tuo bene pectore gemmas
Serues incolumis, quod Tibi poscit amor.

XII. V.D. ADAMO IOSEPHO KACZORKOWIC,

Primæ Laureæ Candidato,

AUTHORI OPERIS.

Adamantem pretioſum, quo, Zona aurea ad ligandos Candidatorum animos diſtincta eſt.

CVM LEMMATE.

Hac ligaſti & obligaſti.

In argumentum mutui affectûs & gratulatorij applauſus.

IACOBUS MICHAEL BIENKIEWICZ, eiuſdem Laureæ, Candidatus offert dicatq;

FVlget æternus nitidi coloris,
Plus Valoris fert adamas, nec omni
Diuiti gemmæ eximioq; torqui,
Cedit honore.
Zona cenſetur potiorque ſemper
Cincta, tam inſigni lapide, & monile
Omnium mentes oculoſq; ducit,
Pondere tanto.
Fulget hic in Te lapis eruditæ
Mentis, Archiuo renitens moderno,
Atq; ſic fulgens adamas, ADAMI
Nomine ſplendet.
Iamq; Te cingit data Zona cæli,
Ipſe cingas vt, capiaſq; corda
O KACZORKOWIC! quia nos coruſcis
Ignibus ornas.
Perge, & in noſtris Studijs palæſtram
Promoue, vt primûm ſuperes labores
Omnium noſtrûm, lapides quibuſq;
Dona dediſti.
Et liges, fauſta Tibi ſecla vitæ
Hoc Tuo, quo nos adamante Vinctos
Iam ligas Vates; Tibi corda noſtra,
Reddis amica.
Atq;, ceu ictus adamas minaces
Vincit, æternos Tua fama viuax
Sic dies vincat, meritiſq; ſuppar,
Impleat orbem.

Permiſſu Magnifici Domini RECTORIS.